



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

38. An si foemina sine vlllo ordine ad confessionem loquatur cum
Confessario de negotiis in Confessionario, & interim ab ipso sollicitetur, an
sit dictus Confessarius denunciandus? Ex p. 1. tr. 4. res. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

D.N.D. Paulo divina providentia Papa V. ac Illustrissim & Reverendissimis DD. Petro titulo S. Mariæ in via, Bellarmino, Ferdinando Taberna titulo S. Eustachij, & Ioanne Garzia titulo SS. quatuor Coronatorum Mellino, nuncupatis Presbyteris S.R.E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus à sacra sede Apostolica specialiter deputatis facta relatione quod multi Confessarii tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis, Sanctissimus decrevit ut contra huiusmodi Confessarios procedatur in S. Officio. Sic ibi. In quibus verbis nulla efficitur mentio de simulatione confessionis: unde intelligendum videtur, licet Confessarius non simulat confessionem, dummodo sollicitet feminam in confessionario, & in hoc casu differentia erit inter sollicitationem in confessionario, & inter eam, quæ fit in subfelliis, & aliis locis, qui licet deputentur aliquando ad confessiones excipiendas, non sunt, neque dicuntur Confessionaria; videtur enim Summ. Pontifex respexisse ad locum illum, qui ex instituto ad Sacramentum exercendum deputandus est in Ecclesia, & is casus in hoc differt à Gregoriana Constitutione.

2. His tamen non obstantibus talem Confessarium non esse denunciandum sentit Freitas in novissima editione de Confess. sollicit. quasi. 15. num. 52. & quasi. 13. num. 30. ubi ait: Sed ego puto Gregorium restrinxisse decretum Pauli V. ad simulationis terminos, seu potius declaravit ad quod deducendus est, & ita docet Soula de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 15. & in annotat. num. 13. & inclinatur Freitas ubi supra quasi. 15. num. 51. & ideo Sancius in selectis disp. 11. num. 66. docuit Paulum V. in illo decreto, & Gregorium XV. in sua constitutione idem decrevisse. Unde ex sententia dictorum auctorum dicendum est ad dubium propositum, talem Confessarium non esse denunciandum, quia in tali sollicitatione nulla adfuit simulatio audiendi confessiones, & ideo Castus Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 8. num. 4. sic asserit. Advertendum est autem optimè posse Sacerdotem cum femina de rebus inhonestis in confessionario tractare, quin simulatio ulla sit confessionis audiendæ, & tunc denunciandus non est, quia non quælibet sollicitatio in confessionario facta cavetur illo decreto Greg. sed sollicitatio quæ simulationem confessionis trahat, ut constat ex illis verbis: *simulantes ibidem confessiones audire*. Ita ille, & novissimè Freitas loc. cit. n. 49. ubi sic ait: Stando in terminis Bullæ Gregor. XV. si Confessor in confessionario sollicitet extra confessionis occasionem, non simulando audire confessionem, sed alloquendo feminam stantem, vel sedentem, qui compositionis modus à communiter accidentibus confessionis actum, & speciem excludit, non incurrit penas, quod à fortiori procedet si Confessor in subfelliis Ecclesiæ, in quibus etiam seculares sedere solent, non in confessionario sollicitet, tamen aliquando in eisdem subfelliis & scamnis confessiones excipiat. Hæc Freitas; & hanc sententiam novissimè docet etiam Lezana in summa 99. Regular. cap. 19. n. 34. Sed contra Doctores istos cum habemus apertam declarationem S.E.R. & universalis Inquisitionis, ab ea non est recedendum.

3. Notandum est tamen hic obiter, Freitas ubi supra quasi. 9. num. 21. & quasi. 15. num. 24. docere verba illa constitutionis Gregor. *simulantes confessionem audire*, intelligenda esse de simulatione ad circumstantium illusionem, quæ cessat inter illum correctorem. Sed contrarium docet Sancius in selectis disp. 11. n. 40. quem ego sequor.

RESOL. XXXVII.

An Confessarius sedens in confessionario, si sollicitat mulierem stantem, vel sedentem ante confessionarium non simulando audire confessionem, sit denunciandus? Ex p. 9. tr. 9. & Misc. 4. Ref. 33.

§. 1. **N**egative nominatim contra me respondet amicissimus Pater Bossius in *discept. moral. disp. 5. n. 3.* ubi sic ait: An verò Confessionarius, qui sedens in confessionario, & extra occasionem confessionis, loquens cum femina stante, vel sedente ante confessionarium, non simulando audire confessionem, illam sollicitet ad actus inhonestos, comprehenderetur dicto Decreto, esseque denunciandus? affirmat Diana *part. 4. tract. 5. ref. 38. circa fin.* Verum Decretum illud videtur intelligendum, quando adest simulatio confessionis prout etiam decernitur in Bulla Gregorij, cuius penas iste Confessarius sic sollicitans absque simulatione confessionis non incurrit. Ita ille, cui addere etiam nominatim contra me Leandr. de Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 13. q. 30.

2. Sed quidquid dicant Leandrus, & Bossius ego non discedo à sententia, quam docui, & quam me citato, tenet novissimè Pater Bordonus in *Sacro Tribun. cap. 23. n. 46.* & ante illum, etiam me citato, Escobar à Corto *tractat. de Confess. sollicitat. par. 1. q. 4. §. 1. n. 35.* ubi sic ait: Indubitata mihi est hæc opinio, & contraria improbabilis, arreta proprietate verborum, & mente, ipsius Decreti. Et procedit, quamvis femina non genuflectat, sed stet, aut sedeat, quia adhuc verius censeo, debere Confessarium denunciari, si sollicitet, aut turpia loquatur, ex dicta declaratione Cardinalium à qua non esse recedendum bene ait Diana. Ita ille. Et ideo, me etiam citato Trullench in *Decalogum, tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 18. num. 73.* ita asserit: Advertit Castus Palaus, posse quidem Sacerdotem cum femina de rebus inhonestis in confessionario tractare, quin simulatio ulla sit confessionis audiendæ, & tunc denunciandus non est; ut si in confessionario sollicitet extra confessionis occasionem, non simulando audire confessionem, sed alloquendo feminam stantem, aut sedentem, quia non quælibet sollicitatio in confessionario facta, cavetur illo Decreto, sed sollicitatio, quæ simulationem confessionis trahat; constat ex illis verbis: *Simulantes ibi confessiones audire*. Hanc autem doctrinam non approbat Diana *4. tr. ref. 38.* ubi ait: Oppositum esse Decretum à Congregatione Cardinalium pro tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum sub SS. D.N.D. Paulo V. die 10. Julij 1614. quo Decreto stante ab hac sententia non est recedendum. Hæc Trullench, & iterum Ego.

RESOL. XXXVIII.

An si femina sine ullo ordine ad confessionem loquatur cum Confessario de negotiis in confessionario, & interim ab ipso sollicitetur, an sit dictus Confessarius denunciandus? Ex p. 1. tr. 4. Ref. 18.

§. 1. **N**egative respondet Giptius de *cas. refer. c. 14. n. 7.* & Episcopus Acugna in *tr. de Confess. sollicit. 9. 14. n. 11.* ubi sic ait: Quando verò non Confessionarius, publicè in Ecclesia aliarum feminarum peccata audientem, licet tunc venientem sollicitet, non idcirco penas incurrit; quia, etsi provocet in confessionarij loco; non tamen penitentem provocat, sed aliam longe

Quæ hic est Ref. antecess. & ne pretermittas videre Ref. hanc seq. & alium §. ejus not.

Quæ hic est Ref. antecess. deus.

Sn. hoc in Ref. seq. §. ult. & sup. in Ref. 35. in princ. & ne deficias vide. re doct. Ref. 36. & 37.

longè diversam.] Hæc ille, qui loquitur in terminis Bullæ Pauli V.

2. Nunc verò per Constitutionem Gregorij aliter dicendum est. & dictum Confessarium denunciandum, ut apparet in illis verbis Bullæ: Sive extra occasionem Confessionis, in quibus clarè Summus Pontifex determinat, Confessarium esse denunciandum, etiam si extra Confessionem in confessionario feminam sollicitet.

RESOL. XXXIX.

An si Confessarius, & penitens conveniant in simulatione confessionis, ut ibi inhonestos sermones habeant, sint denunciandi, & incidunt in penas Bullarum?

Et quid, si bono animo penitens accedat, alia negotia in confessione tractatura, Sacerdos vero occasione arrepta, ad Venerem inducat? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 10.

Sup. hoc sup. §. 1. Negativè respondet Castr. Palanus tr. 4. diff. 9. in ref. 16. §. ult. & inf. in p. 14. & in alio §. eorum annotat.

1. Negativè respondet Castr. Palanus tr. 4. diff. 9. punct. 8. num. 2. ubi sic ait: Si uterque in simulatione confessionis conveniunt ut liberius de rebus inhonestis tractarent, nemini incumbit obligatio denunciandi, non Sacerdoti, ut de se constat, neque penitenti, aliàs esset obligatus denunciare se ipsum. Neque hæc sollicitatio est propria Sacerdotis potius, quam penitentis, sed est mutua sollicitatio ac proinde in sollicitationem sibi factam uterque consentit. Hæc sententia est probabilis in terminis Bullæ Pij IV. Pauli V. & Clem. VIII.

2. Verum stante nova Constitutione Greg. XV. non est tenenda, & ideo Ioan. Sancius in selectis disput. 15. num. 3. sic ait. Quamvis aliquibus piis & doctissimis viris visum sit non solum mortale crimen committendum in huiusmodi fictione, verum contra illum casum procedere rationem & mentem Brevis contra sollicitantes Confessarios editi, utpote peccantis sub confessionis scuto, & in illius opprobrium, ut refert Acugna de sollicit. Confess. quest. 15. num. 2. qui tamen non comprehendit sub Brevis casum illum censet. Verum, quamvis sub dicto Brevis non comprehendatur casus ille, comprehenditur tamen ex vi decreti Gregor. XV. ut constat ex illius tenore. Ita ille.

3. Nota tamen quod si penitens bono animo accedat, alia negotia in confessione tractatura, Sacerdos vero occasione arrepta ad Venerem inducat, tunc etiam secundum ipsum Castrum Palanum est obligatio in penitente denuntiandi Sacerdotem, ex dicta Constitutione Gregor. & ideo Soula in aphor. Inquis. lib. 9. cap. 34. num. 42. ita asserit. Sollicitatio in loco ad audiendas confessiones deputato, non tamen in actu Confessionis, non comprehenditur in dictis Constitutionibus secundum antiqua iura. Secus in jure novo Bullæ Gregor. XV. quod comprehendit omnem sollicitationem tam in confessionario, quam in loco ad audiendas confessiones deputato, seu ubi confessiones audiuntur, dummodo simuletur confessio. Hæc ille.

RESOL. XL.

An si Confessarius, qui ante, vel post confessionem feminam sollicitavit, sit denunciandus?

Et quid, si post longum tempus eam sollicitavit?

Et an si denunciandus Confessarius, qui penitentem literis amatoris, lenonibus, & internuntiis sollicitat; vel qui accedit post auditam confessionem ad domum mulieris, & ibi illam sollicitat? Ex part. 1. tract. 4. Ref. 14.

§. 1. Negativam sententiam docet, ex Societate Sacerdotum suorum, Fagundez de præcept. Eccl. tract. 2. lib. 4. p. 19. regul. ver. sollicitare feminas, num. 6. quia in Bullis Pontificis Clem. VIII. & Pauli V. erant illa verba: in audiendi Confessiones, & dum eorum audiam Confessiones, non est extendenda ad crimen factum propè, vel paulò post Sacramentum: quia lex poenalis, ut supra diximus, non est extendenda.

2. Hæc opinio erat probabilis, licet contrarium docet Barriola in Flor. Inquis. fol. 226. Scotti in Bull. Pont. epit. 77. theor. 197. Ortiz in summa, 2. 4. n. 11. Llanas in summa, part. 3. cap. 8. §. 15. Giptius tract. de casu reserv. cap. 14. n. 3. Cortolanus de casu reserv. p. 2. cas. 9. in similitudine gala in 1. p. lib. 1. cap. 5. n. 32. Villalobos in summa, 16. tr. 9. dub. 36. n. 20. Bonacina de maritim. 4. punct. 16. propos. 5. n. 7. Riccius Cherubinus in praxi, par. 2. ref. 140. n. 1. Paramus de orig. Inquis. lib. 3. qu. 10. n. 44. Rodriquez in q. 9. e. g. l. 10. 2. q. 2. art. 2. §. 3. Cherubinus in comp. Bull. lar. 10. 2. Conf. 31. Pij IV. scilicet 1. Genensis in praxi, cap. 76. n. 2. Henricus in summa lib. 6. cap. 17. n. 4. in Glossa, lib. 1. L. Molfesius in summa, som. 1. tr. 7. cap. 4. n. 31. Homobonus de exam. Eccl. par. 1. tr. 7. c. 24. num. 29. & alij, quia patia sunt, aliquid fieri in actu Confessionis, vel paulò ante, seu post, ut habetur in Glossa, Paramus, §. raro, ff. de officio Proconf. & per ea, quæ adducit Titus quellus de retract. conven. p. 2. §. 1. gloss. 4. §. 2. 3. Sed hodie per Bullam Gregorij XV. cessavit hæc questio: nam ibi clarè statuit, esse tales Confessarios denunciandos, in illis verbis Bullæ: in actu sacramentalis Confessionis, sive ante, vel post immediatè. His tamen non obstantibus, est rejicienda, tanquam falsa, opinio illa Navarri quam addocet Paramus, ubi supra, dicentis, posse Inquisitores animadvertere adversus Confessarium, post longum tempus, extra Confessionem feminam sollicitantem. Vnde rectè notavit Rodericus Acugna tract. de Confess. sollicit. §. 5. n. 15. Confessarium non esse denunciandum, qui penitentem literis amatoris, lenonibus, & internuntiis sollicitat, neque, ut in Bulla notat Molfesius in summa, som. 1. tract. 7. cap. 24. n. 2. 1. accederet post auditam Confessionem ad domum mulieris, & ibi illam sollicitaret: quod etiam docet Scotti in Bull. Pont. epit. 77. theor. 197.

RESOL. XLI.

An si denunciandus Confessarius prætextu confessionis agenda vocatus, si postea in domo sollicitet? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 37.

§. 1. Affirmativè videtur respondendum ex Sancto in selectis disput. 11. num. 68. in fine, ubi sic ait: Sive in domo femine simulatio illa interveniat, dum videlicet prætextu confessionis agenda vocatur Confessarius, utrique tamen intentione venerorum agendorum ad simulandum ducerentur. Ita ille.

2. Sed negativam sententiam, & meritò, docet Freitas de Confess. sollicit. in novissima editione quest. 15. num. 44. ubi sic ait: Si Confessor domum vocetur sub prætextu confessionis, veluti ut Prælatum Confessor decipiat, cum tamen ex præcedente tractatu tam Confessor, quam femina intentionem habeant venerorum agendorum, puto Brevis non esse locum, eo maxime, quia in casu Sancij non proponitur sollicitatio ex parte Confessoris in sacramento Penitentiae, vel proxime, sed tractatus remotus ex utriusque placito, qui tractatus præcedens nihil ad rem facit, sive simulatur, sive non, confessio. Opinio ergo Sancij defendi tantum potest, quando in ipsa domo & loco ad confessionem